

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitum

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput XCVI. Continens Historiam De Tribus, Qvi Christum Seqvi Volebant,  
Qvibus Singulis Aliqvid Defuit. Luc. 9. v. 57.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

fuerit. Nam Ecclesia destruitur, quando homines vel prius perduntur, quam ad Christum adducuntur, vel semel adducti, sive falsa doctrina, siue impia vita, rursus abducuntur, ut in aeternum perirent. Talem destructionem Christi ministri cavere debent. Interim tamen, ut illa destruant, quae spirituali ædificationi incommodant, vel veræ fidei atque divino cultui officiant, non prohibentur. Sic Petrus Actor. 5. v. 5. verbo occidit Aniam & Sappiram, Spiritui sancto mentientes, & Ecclesiam fraude decipientes. Et Paulus Act. 1. 3. v. 11. Elymam Magum cœcitate percussit, quia Paulum Sergium Proconsulem ab auditu verbi avertere conabatur. Et hoc est, quod Paulus 2. Cor. 10. v. 6. dicit, se habere potestatem ulciscendi (non proprias injurias, sed) omnem inobedientiam. Unde in eodem sensu Deus Jeremiæ dicit, c. 1 v. 10. se illum constituisse, ut evellat, & destruat, & disperdat, & dissipet (non ipsos homines, sed omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam DEI, ipsos autem homines) ædificet & plantet.

IV. Christus Servator hominum, hac inhumanitate Samaritanorum nihil ad iracundiam commotus, ivit cum suo comitatu *in aliud castellum*. Illud an Samaritanum quoque, an Judaicum fuerit, non constat. Quale quale autem fuerit, ex his tamen videmus, nunquam defuturum Christo locum; in quo cum sua Ecclesia in his terris exulante hospitium inveniat. Ipsius enim est terra & omnis plenitudo ejus. Psal. 24. v. 1. Ipse etiam omnium hominum corda in sua manu tenet, ea que facile ad benevolentiam & beneficentiam erga suos cultores inclinare potest, si velit, & si sua gloria atque suorum saluti conducibile esse sciat. 2. Deinde etiam Christus lenitate & mansuetudine sua suis Apostolis exemplum præbere voluit, ne indignè ferrent, si postea orbem terrarum prædicandi Evangelii causa peragraturi, a quibusdam repellerentur. Ibi tum enim illam suam regulam observandam esse, quam Matth. 10. v. 23. dedit: Cum persecuti vos fuerint in civitate una, fugite in aliam. Non ergo sunt iurgia miscenda cum repellentibus nos, sed cedendum. Servum enim Domini non oportet litigare, sed mansue-

tum esse erga omnes. 2. Thess. 2. v. 24. 3. Denique hæc quoque Domini lenitas observanda venit, quod non punit Samaritanos in se peccantes: sed abit & dissimulat hoc ipsorum peccatum, nec cogit eos ad hospitandum contra suam voluntatem. Hac enim sua longanimitate & benignitate eos ad poenitentiam adducere vult, Rom. 2. v. 4. Quod etiam mox post ipsius in celos ascensionem & Spiritus sancti millionem factum est. Et quomodo Joannes Act. 8. v. 14. una cum Petro Samariam, ad confirmandos ipsos in doctrina Evangelii, allegari potuisset, si Christus hic ipsius & fratris petitioni annuisset? Et hoc est illud, quod Paulus Act. 17. v. 30. dicit, quod DEUS sit *παντοποιός παντοπλεύρος*, qui dissimulat tempora ignorantia. Nam ut pater filiorum miseretur, sic miseretur Dominus nostri: scit enim quale figmentum sumus, & novit quod pulvis sumus. Psal. 103. v. 13. Si DEUS mox Paulum morte mulctasset, cum Ecclesiam Christi persequeretur, Act. 9. v. 1. quomodo nos gentes tanto Apostolo frucremur, quomodo divinis ipsis Epistolis delectaremur? Agnoscamus ergo grata mente, si quando adhuc hodie Christus transit peccatum reliquiarum hereditatis suæ, Mich. 7. v. 18. & facit, ac si non videat vel sciat peccata nostra, ne juxta demeritorum exigentiam nos punire cogatur, sed ut poenitentiam nostram expectare possit. Si enim DEUS peccatores puniret, nec corum poenitentiam expectaret, quis salvaretur? Nos non tantam habemus patientiam cum peccatoribus, quia nobis animæ hominum non tanti considerunt, quanti Christo. Is peccatorum causa è celo in terras descendit, & sanguinem suum pro ipsis effudit: iccirco magna patientia eos expectat & suffert, orans & rogans eos, ut convertantur. 2 Cor. 5. v. 20. Imò ipsos sibi ad exactam usque atatem & postremam senectam præstolatur, atque si tum redeant, expansis brachiis in ultima canicie eos recipit. Quod etiam applicari potest illud Jesaiæ 46. vers. 4. usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos:  
ego portabo, ego feci, & ego feram:  
ego portabo & sal-  
vabo.

## CAPUT XCVI.

CONTINENS HISTORIAM DE TRIBUS, QVI CHRI-  
STUM SEQVI VOLEBANT, QVIBUS SINGULIS ALIQVID DEFUIT.

LUC. 9. v. 57.

## RATIO ORDINIS.

**S**upra capite LXIII. hujus Harmoniae diximus, posse hanc historiam, si quis velit, cum illa, quæ Matt. 8. v. 18. legitur, combinari. Nam ferè per omnia inter se convenient, præterquam quod illic tantum duo referuntur, qui Christum sequi vole-

bant; hic autem tertius additur. Et quod illi Christum in via ad mare, hi vero eundem in via Hierosolymam euntem adorti esse narrantur. Sed facile fieri potuit, ut apud Christum eadem, aut saltem ad speciem consimilia, diversis temporibus & locis his terve acciderint. Iccirco etiam nos pro

pro diversis in Harmonia ponemus, nemini item moturi, si quis eam cum priore conjunxerit. Nam horum trium unum verum esse necesse est; vel quod tantum duo Christum accesserint eo tempore & loco, quo Matthæus retulit, vel quod tres eundem accesserint eo tempore & loco, quo Lucas scribit: vel quod unus saltem, & ille quidem tertius, hoc loco venerit, ut Lucas per Remonerationem, & ob argumenti similitudinem, priores duos huic postremo adjunxerit. Ut sit illi, qui Harmoniam Evangelicam populo explicandam proponunt, peccare non poslunt, si maximè

utrobique eandem materiam tractent. Prodest enim Christianos auditores saepius commonefacere, ut attendant, quo animo & qua mente Christum sectentur: siquidem is non omnia suorum sectatorum placita probat. Hic enim tres inducunt plurimum inter se discrepantes. Primus sponte se offert, cum Christo sit comes minus idoneus: ac proinde rejicitur. Alter vocatus cunctatur: & hunc Christus quasi ad sequelam compellere videtur. Tertius offert se quidem: sed cum conditione quadam, quæ & ipsa à Christo improbatur.

### HISTORIA TRIUM DIVERSORUM CHRISTI SECTATORUM, LUC. 9.

57. Εγένετο δὲ πρεσβύτερος αὐτῶν, οὐ τῇ ὁδῷ, εἰπέ τις τῷ αὐτῷ Ακολούθῳ Σοι, ὅπου αὐτόπερ καὶ κυριεῖ.  
 58. Καὶ εἶπεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· αἱ ἀλάπενες Φωλεῖς ἔχουσι, καὶ τὰ πτενά ἐχουσιν κατασκευώσεις, εἰδὼς τὸν ἄνθρωπον οὐκ εχει, πὺν τὴν κεφαλὴν κλίνῃ.  
 59. Εἶπεν δὲ εἶπεν εἰπερον· Ακολούθῳ μοι. Οὐ γάρ εἶπε κύριε, σπίτιζεψόν μοι ἀπέλαφον περῶν διεψατὸν πατέρα μου.  
 60. Εἶπεν δὲ αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· ἀφες τὸν νεκρὸν Ιερίου τὸν εἴσινταν νεκρός. Καὶ ἀπελθὼν, οὐδεγένετε τὸν βασιλέαν δέ θεεῖ.  
 61. Εἶπεν δὲ καὶ εἶπος Θεῷ· ἀπολογήσοντοι, κύριε, περῶν δὲ σπίτιζεψόν μοι ἀποταξαδούρις εἰς τὸ οἰκον μου.  
 62. Εἶπεν δὲ αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· οὐδεὶς Πτιταλών τὸν χῆραν αὐτὸν ἀφέσον, καὶ βλέπων εἰς τὰ ὅπιστα, ἐνθερψειν τὸν βασιλέαν δέ θεεῖ.

57. Factum est autem ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum: sequar te, quocunq; ieris, Domine.  
 58. Et dixit illi Iesus: vulpes cavernas habent, & volvres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.  
 59. Ait autem ad alterum: sequere me. Ille autem dixit: Domine, permittite mihi, ut prius abeam, ac sepeliam patrem meum.  
 60. Dixit autem ei Iesus: sine ut mortui sepeliant mortuos suos, tu vero vade, & annuncia regnum Dei.  
 61. Et ait alius: sequar te, Domine, sed permitte mihi prius, ut dicam vale ius, qui sunt domi mee.  
 62. Ait ad illum Iesus: nemo, qui manusua admota arato, respxit a tergo, aptus est regno Dei.

### Periocha hujus Historie.

**B**revitati in hujus capituli expositione studebimus: quia pleraque, quæ dici possunt cap. 63. supra sunt adducta. De singulis tamen ex his tribus aliiquid dicemus.

Primum quod attinet, si verba ipsius spectemus, sunt illa admodum bona & honesta. Primo Iesum Dominum vocat, cum Pharisei, Scribae & Sacerdotes vix hominis nomine eum dignati sint. Deinde addit: sequar te quocunque ieris. Offert sese promptum & paratum ad omnes labores, pericula & casus, sine ulla exceptione. Sed aliud in corde habebat. Nimirum volebat JESUM sequi eadem intentione, qua Simon Magus Acto. 8. v. 19. desiderabat habere potestatem distribuendi Spiritum sanctum, ut scilicet divitias lucraretur. Ideo venit eo tempore, quo omnia circa Christum in tuto constituta erant, quo propter miracula omnium ore prædicabantur: quo nobiliores fœminæ quædam ipsum alebant, ne quid rerum necessiarum ipsi deesset: quo denique Hierosolymam ipsum abire intelligebat, ad occupandum suum regnum, quod ipse mundanum sibi imaginabatur. Est hic typus eorum, qui apud Christus opes, honores & voluptates hujus mundi querunt. Quales quamplurimi in re-

gnō Pontificio inveniuntur, qui sacrifici initia-ri patiuntur, & Ecclesiasticos ordines querunt, non ut DEo serviant, nec ut tanto ardenter pietati studeant: sed ut divitias sibi parent, amplas Præbendas capiant, splendidos Canonicatus adipiscantur, aut etiam ad Episcopalem dignitatem aliquando adscendant. Sperant ergo se splendidiorem & abundantiorem victum habituros per Ecclesiam, quam per seculum. Hi eodem affectu ducuntur, quo olim Hemor & Sichem Genes. 34. vers. 22. qui civibus suis persuaserunt, si circumcisioem admitterent, omnem substantiam Jacobi, omnia ejus pecora, & cuncta quæ possideret, sua futura. Sic hi CHIRITO inserviunt, ut Ecclesiastica bona ipsorum fiant. Magi orientales, qui ad quærendum JESUM natum Bethlehem usque accesserunt, longè aliter fuerunt affecti. Hinc non ut ipsi divites fierent à CHRISTO, sed ut JESUM pauperem ditarent, venerunt: ideo aperte suis thesauris munera ei obtulerunt. Dicat quis: atqui vos vero præcones etiam non gratis Evangelio inservitis? Utique. Neque tamen Christum ob parandas divitias tantum sequimur. Nam Christus ipse ordinavit, ut qui Evangelio servi-

serviunt, etiam de Evangelio vivant. 1. Cor. 9.v. 14. Contenti autem nostro stipendio vivimus. Et quemadmodum honestus miles, non propterea principaliter militat, ut stipendum acquirat, sed ut patriam defendat: interim tamen stipendum accipit, ut viatum, amictum, arma, e-  
quos & consimilia paret, absque quibus patriam defendere non potest. Ita nos non propterea Ecclesia principaliter inservimus, ut ejus bonis fru-  
mum, sed ut Ecclesiam salutari doctrina edifice-  
mus: stipendum tamen ex bonis Ecclesiasticis ac-  
cipimus, quia si absque eo eset, nec viatum, nec  
amictum, nec liberum, nec alia necessaria, quibus in  
exequendo ministerio carere non possumus,  
comparare valeremus.

Quid ergo Christus huic sponte sua currenti responderet? Joha. 6.v. 37. dicit: Eum qui venit ad me, non eiiciam foras. Huic tamen tale respon-  
sum impertit, ut facilè intelligat, Christum ipsum  
discipulum habere nolle. Syracides enim dicit. 1.  
v. 36. ne accesseris ad Deum dupli corde. Hoc  
vero præfens hic fecit. Licet enim corpore veni-  
ret: animus tamen ipsius magis ad opes, honores &  
felicitatem hujus seculi, quam ad Christum ad-  
spirabat. Ite cito CHRISTUS non tam ad verba  
quam animum ipsius respiciens, respondit: Vulpes  
cavernas habent, & volucres celi nidos: Filius autem  
hominis non habet ubi caput reclinet. q. d. Quid  
me sequi vis, ut dives fias? Me, inquit, hominem  
pauperem & nudum, adeoque inopem, ac rebus  
omnibus destitutum, ut nec domum propriam  
habeam aut alium locum, ubi caput reclinem?  
Quibus tamen nec vulpes, animal invisum, nec  
avicularia destituuntur. Erras itaque, si hac intentio-  
ne me vissequi: quia meis discipulis non momen-  
tanea hujus mundi bona largiri soleo, sed æter-  
norum & celestium mediator sum. Hæc autem,  
quæ Christus dicit, si vera sunt, ut sane sunt veri-  
fissimæ: unde quæso Papæ & ipsius sectatoribus, tot  
& tanta proveniunt divitiae? quibus oppida, ar-  
ces, provincias, ducatus, regna integra, adeoque  
terra longè lateque patentes possidet. Aut unde  
Petrus tam amplum habuit patrimonium, ut vel  
cum potentissimis etiam regibus eo nomine  
certare possit? Christus certè opes hujus mundi  
nunquam nec quæsivit, nec habuit: quia regnum  
ipsius non est de hoc mundo, Joha. 18.v. 36. De  
Antichristo autem vaticinatur Propheta Daniel  
cap. 11.v. 43. Dominabitur thesauris auri, & argen-  
ti, & in omnibus preciosis Ægypti. Jam  
ergo quisque Papam habeat quo loco velit, cer-  
te Christi successor vel Vicarius esse nequit, ob  
summam hujus paupertatem. Cui in nativitate  
defuit domus, ideo in stabulo natus est, & in præ-  
sepi jacuit, cum exiguo viatico in Ægyptum de-  
latus, ibique à pauperculis parentibus cum ino-  
pia nutritus est. Nihil in mundo (cuius tamen i-  
pse opifex & gubernator erat) possidens, de ele-  
mofynis vivebat oblatis. Et eo ipso die,  
quo Hierosolymis cum ramis olivarum tan-  
quam rex exceptus est, in urbe quæsivit hospiti-  
um, sed quia nullum invenit, reversus Bethaniam,  
ibi tanquam pauper peregrinus receptus  
est. Tanta denique inopia laboravit, ut coenacu-  
lum, in quo cum Apostolis agnum paschalem  
manducarer, quasi mendicare coactus fuerit: quia

propriam domum non habuit. Sed de paupertate  
Christi c. 63. sufficienter dictum est.

II. Alterum Christus ipse vocat, eique dicit  
Sequere me. Magna hæc est dignatio. Nam ad di-  
vinum ministerium, nemo seipsum ingerere debet,  
nis à DEO per Jeremiam rejici velit, c. 23. v. 21  
& 27 v. 16. Nemo ergo sibi sumat hunc honorem:  
sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron, Hebr. 5.  
v. 4. is grata mente suscipiat. Ceterum hunc ho-  
norem à Christo oblatum, hic discipulus non qui-  
dem rejicit, veruntamen moras necit, prætexens  
pietatem in parentes. Domine, inquit, permitte  
mi ut prius abeam, ac sepeliam patrem meum.  
Pater ipsius adhuc vivebat, sed petebat iste, ut  
Christus tantisper expectaret, donec pater vita  
defungeretur, atque ipse eum sepelliisset. Nam si  
pater jam mortuus esset, sepultura officium non  
ita multum temporis requisivisset. Sed quia mul-  
tam temporis petebat (quis enim novisse potuit,  
utrum pater intra annum vel amplius diem suum  
obiturus esset?) ideo prohibitus est abire. Gerit  
hic discipulus typum eorum Christianorum, qui  
gustum aliquem habent doctrinæ Evangelicæ &  
sentiunt divinitus se vocari, ut veram fidei pro-  
fessionem amplectantur, & si maximè ad exterios  
abeundum sit, eum sequantur: sed laboribus &  
molestiis peregrinandi pertæsi, periculis item  
propositis perterriti, undequaque causas cun-  
clandi conquirunt, & pietatis officia prætexunt.  
Alii prætendunt parentes grandævos & veteri  
superstitioni addicatos, horum infirmitati aliiquid  
indulgendum censem, donec vel & ipsi animum  
mutent, aut peracto curriculo vitam cum morte  
commutent. Alii autem prætendunt, magistra-  
tum quidem illum, qui nunc rerum habenas gu-  
berner, esse aliquo modo mōrosiorem, sed spem  
esse, si ipse oculos claudat, ut alius mitior succedat,  
quo rerum potiente tutius futurum sit Evangelii  
fidem confiteri. Alii prætendunt vicinos, quibus  
nec possint nec debeant scandalum esse. Et enim il-  
los mutationem ejusmodi religionis & loci simi-  
stræ interpretari posse, unde facilè turbæ oriantur  
in Republica, ob quas seditionis nomen & titulus  
alicui tribui possit. Alii tantisper sibi expectan-  
dum existimant, donec bona sua absque damno  
aut rerum suarum detrimento commode distra-  
here possint. Alios amplæ hæreditates, quas jam  
spedevorunt, detinent: si que muneras esse cen-  
sent, ut domesticorum suorum curam habeant. 1.  
Tim. 5.v. 8. Et quis prætextus illos omnes recen-  
seat, cum caro nostra valde ingeniosa sit, ad fin-  
gendos prætextus, quibus vel ignaviam suam, vel  
etiam apertam Veritatis abnegationem excusat?  
Abraham pater omnium credentium talis non  
fuit, quin potius vocatione divinitus accepta pro-  
tinus obtemperavit, & ex patre solo egressus est,  
quemadmodum ipsi præceperat Dominus. Gen.  
12. v. 4. Paulus quoque accepta divina vo-  
catione, ut evangelizaret Jesum Christum in gen-  
tibus, non acquiecerit carni & sanguine, ut mo-  
ras necteret, sed continuò solicitus fuit, quomo-  
do divinæ voci obedientiam præstaret. Galat.  
1. vers. 16.

Christus ergo videns hunc cunctatorem affe-  
ctibus suæ carnis nimium indulgere, hoc ipsi re-  
spon-

sponsum dat: *Sine, ut mortui sepeliant mortuos suos: tu verò vade & annuncia regnum Dei.* Non improbat pietatem erga parentes, quam ipse in quarto præcepto præcepit, & moribundus quoque observavit, cum Joh. 19. v. 26. in cruce matrem Iohanni dilecto filio quam diligentissimè commendavit. Nec etiam improbat pium illud & Christianæ misericordia opus, quo mortui honeste sepeliuntur, quod etiam angelus in Tobia commendavit, Tob. 12. v. 12. Sed tantum commonstrat spiritualia opera, temporalibus longè esse anterenda. Et verisimile est, Christum hujus discipuli opera uti voluisse, in illa legatione, qua jam sequenti capite instituetur. Ad hanc ipsam relictis aliis rebus omnibus accendi eum vult, ideo dicit: *Tu annuncia regnum Dei.* q. d. Mortuos sepelire est quidem humanitatis opus: sed hoc mortui, hoc est, inferioris conditionis homines, & illi etiam, qui circa res mundanas occupantur & ac proinde Deo moreui sunt, præstare possunt. Tu vero, διάγγελλος του βαστλέων του Θεού, destinatus es, utsis angelus Domini exercituum, Malach. 2. v. 7 live angelus pacis, Iesa. 33. v. 7. qui prædicet Evangelium de verbo Dei, per quod non mortui sepeliuntur, sed in peccatis mortuis vita restituatur. Notandum autem hic verbum διάγγελλος, quo Christus utitur. LXXII. interpres hoc verbum posuerunt Levit. 25. v. 9. ubi agitur de anno Jubilæo, qui per clangorem tubæ live buccinæ Iudeis indicandus erat. Quia ergo in hoc ipso festo tabernaculorum, inchoabatur verus Jubilæus & annus libertatis, quem Christus sua passione nobis comparatur erat: (Nam non desunt, qui existiment, Christum Servatorem anno mundi 4000. pro peccatis humani generis satisfecisse. Quod si cum suppuratione temporis conveniat, Hic annus esset 80. Jubilæus mundi, 30. vero Mosis.) Christus ergo ablegatione, 70 discipulorum, & eorum prædicatione, quasi tuba & buccina spirituali (ut Iesa. 58. v. 1. præcones verbi nominantur) annua illum intonare & intimare voluit. Et adhuc officium se hujus discipuli opera uti velle indicat. Psal. 2. v. 7. filius Dei ipse sibi tribuit, quod sit διάγγελλος προσταγμα κυρίου, prædicens præceptum Domini. Ex quo verbo patet, quales Christus suos discipulos esse velit: qui nimurum sint angeli sive nuncii regni Dei, & κηρυκεῖς sive præcones Evangelii, qui viventium habeant curam, & operam dent, quo per fidem in Christum vivant, vita etiam Christianæ officia præstant, ac denique ad æternæ vitæ hæreditatem adipiscunt: mortuus autem mortuis relinquunt. Hoc si ita est: unde ergo proveniunt sacrificuli Pontificii, quorum omnis fere labor est, ut, neglectis vivis, circa mortuorum curam occupentur? Non enim contenti mortuos sepeliisse (quod tamen si ritè fiat, improbari nequit: quia Dei vox est, in terram revertaris, Genes. 3. v. 19.) etiam sacra pro mortuis faciunt, eadem die trigesimo repetunt, immo annua sacrificia addunt, quæ interdum perpetuo pro salute defunctorum ex certa fundatione fieri necesse est. Sic habent certasua sacra & missas, quas quotidie pro certa mercede canunt, ut animas defunctorum in fictio suo purgatorio juvent, quo ipsarum poenæ breviores aut saltem tolerabiliores fiant. Ars profecto Pontificius quæstuosissima,

qua omnes Chymicos longè superant. Hi enim falsis promissis se aurum & argentum ex cupro, stanno & consimilibus vilioribus metallis conficerere posse hominibus persuadent: at Pontifici sacrificuli ex nihilo, nimurum ex vanissimo commento sui purgatorii ignis, aurum, argentum, patlatia, prædia, annuos reditus & maximos thesauros, vel Crœsi opes superantes, conflaverunt. Hos sacrificios à Deo vel Christo institutos esse, dicere non possumus. Nam in veteri Testamento DEUS sacerdotes in mortibus suorum civium contaminari noluit, Levit. 21. v. 1. hic vero Christus discipulo huic dicit, *mortui sepeliant mortuos.* Sequitur ergo irrefragabiliter, sacrificulos istos ab ipsissimo Antichristo introductos esse.

Monet etiam hic locus, divinæ vocationi omnia mundana postponenda esse. Multum debemus patriæ, plus magistratu, plurimum parentibus, conjugibus & liberis. Si tamen hi nos impedit vellent in negotiis fidei vel religionis, tum nullo modo nos eorum sive amore sive obseruancia avocari patiamur, sed Christo vocanti obtemeremus. Memores illorum dictorum, 2 Maccab. 7. v. 30. non obedio præcepto regis, sed præcepto legis: Act. 5. v. 29. Obedire oportet DEO magis, quam hominibus: Matth. 10. v. 38. qui amat patrem ant matrem plus quam me, filium aut filiam super me, non est me dignus: Jacob. 4. v. 4. amicitia hujus mundi inimica est Dei. Unde Paulus recte dixit, Gal. 1. v. 10. Si adhuc hominibus placarem, Christi servus non essem.

III. Superest tertius, qui & ipse Christum sponte adit, & dixit: *Sequar te Domine, sed, permittre mihi prius, ut dicam vale iis, qui sunt domi mea.* 1. Reg. 19. v. 20. legimus, cum Elias Elisæum ex divino mandato ab aratro avocasset, ut se queretur, petuit hic: osculer quoquo patrem meum & matrem meam, & sic sequar te. Ibi Elias assensus est postulationi: quia congruebat ex præcepto de venerandis parentibus. Addit tamen conditionem: vade, & revertere: quod enim meum erat, feci tibi. Proinde si Elias non reversus fuisset, gravissime peccasset. Hic vero non loquitur de parentibus, sed de iis, qui sunt domi sua, intelligentis dispositionem totius rei domesticæ, imprimis autem, ut cum bona gratia & venia suorum ipsum sequatur. At vero quando Christus, qui est Dominus universi, quempiam ad suum ministerium vocat, ibi non est cum carne & sanguine conferendum, Gal. 1. v. 16. sed illud Psalm. 45. v. 11. attendendum: obliscere populum tuum, & dominum patris tui, sic rex concupisces decorum tuum. Hic vero simul & Christi discipulus esse, & res terrenas tractare voluit; quod Christus nunquam probavit. Typum ergo hic gerit eorum, qui Evangelium Christi catenus suscipere volunt, quatenus mundanos homines non offendant. Tales multi inveniuntur in Papisticorum principum aulis, qui sinceriorem doctrinam non ignorant, & interdum de ea cum verbi ministri conferunt: aperte tamen eam profiteri nolunt, quia cum bona suorum Principum gratia id facere non possunt, nisi conditione sua excidere velint. Tales quoque sunt quidam verbi ministri, qui Evangelium Christi ita prædicare cupiunt, ut nec Jesuitas nec alios stopodidastar. erit, offendant, sed

sed omnium auditorum gratiam habere queant. Nihilo meliores, si modo non peiores, sunt illi, qui Christum ita sequuntur; ut tamen licet simul Baccho & Veneri etiam servire, hoc est, commefationibus, libidini & aliis vitiis indulgere. Alii etiam catenus faltem Christum ipsiusque Evangelium profiteri volunt, quatenus id fiat sine jactura rerum suarum, aut ut ita sibi prospicere liceat, ne olim egere cogantur. Talis erat Judas fur, surripiens ex loculis eleemosynas: Joh. 12. v. 6. Et Ananias atque Saphira, Act. 5. v. 2. qui Ecclesiam fraudarunt pecunia, ut si forte tempora periculosa incederent, suis commodis jam ante prospexit.

Quid vero Christus de hujusmodi ambidextris? Nemo inquit, qui manu sua admota aratro, resperxerit à tergo, aptus est regno Dei. Innuit tales non esse idoneos regni sui consortes vel suos discipulos, qui simul animum suum rebus seculari bus implicare velint. Christianismus talis status est, qui totum requirit hominem: ut quis in eo statu versans non possit duobus Dominis, Christo & huic seculo, servire. Matth. 6. v. 24. Non quidem vult Christus penitus prohibere rei domesticæ curam, cum Paulus tales Ethnicis deteriores esse testetur: 1. Timoth. 5. v. 8. sed talem curam, quæ cum dissidentia est conjuncta, & facitur fidei oculos avertamus à Deo, & convertamus ad temporalia, Christus reprehendit. Utque intelligamus ipsum non absque causa de eo monere, adducit simile à rurifica. Omnis arans, qui manus quidem stivam tenet, sed oculos convertit ad ea quæ à tergo sunt, aut tortuosos ducit sulcos, aut boum arantium vestigia vulnerat. Ita qui apprehendo spirituali vomere vitia mundana persulcans recto tramite incedit versus Dei regnum, sed mox aspectum & desiderium suum ad eadem vitia rursus convertit, aut vanitate mundi, quam à tergo relinquere debemus, detectatur, aut hujus seculi curis se rursus implicat, ille & animam suam vulnerabit, & delirabit, nec rectos sulcos ducet. Nam quicunque à bono inchoato retrospicit, ille mente ad secularia redit. Itaque perseverantia in bono opus est. Non decet, ut qui cum Lotio ex Sodomi egressus est, malorum consortium & societatem ad Dei præceptum devitans, cum uxore ipsius respiciat, nisi in falsis sta-

tuam mutari, aut alias à Deo puniri velit. Gen. 19. v. 26. Sic filii Israel, postquam egressi erant de Ægypto, corde & mente eodem respexerunt, optantes ollas carnium, cucumeres, pepoies, cæpe & alia. Num. 11. v. 5. sed nullus eorum ingressus est in terram promissionis, verum omnes in deserto perierunt. Et Paulus conqueritur 2. Tim. 4. v. 10. Demas me dereliquit, amplexus praesens seculum, & profectus est Thessalonicanum. Dolenda profecto est inconstancia multorum, & lachrymis deploranda, quod ad quemvis fortuna live prosperæ live adversæ flatum, rectam & bonam viam deserunt, & ad mundi exemplum deflectunt. De Chamaeleonte referunt, eum colorem mutare secundum omnes species quibus admovetur: sic quidam omnibus hujus seculi filii sese accommodare norunt, utjuxta illorum nutum bonum animi propositum mutent, & quoconque illi volunt, se impellere ac transversos agere patientur. Et sicut de Chamaeleonte referunt, eum quosvis alias colores, præterquam album, recipere: ita ejusmodi homines in omnes formas sese transmutant, tantum verum animi candorem nunquam recipient. Oportet ergo in bono proposito perseverare, & in instar arantis progredi, hoc est, semper de bono in melius tendere atque proficere. Sicuti Ezech. cap. 1. vers. 9. de quatuor suis animalibus, Evangelicum Christi currum trahentibus, dicit: non revertebantur, cum incedebant: sed unum quodque ante faciem suam gradiebatur. Et Paulus de seipso, Phil. 3. vers. 13. Quæ quidem retro sunt, oblivicens, ad ea quæ sunt priora extendeo meipsum, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.

Hac de tribus istis Christi sectatoribus dixisse sufficiat. Quorum primus fuit hypocrita, alter cunctator, tertius ambidexter. In primo nos Christus monet, ne nostra, sed quæ ipsius sunt, queramus. In secundo, ut nos ipsos & omnia nostra ipsius causa abnegemus. In tertio, ut postquam semel ipsi nomen dedimus, constanter cum ipso ad finem usque perseveremus. Qui plura de ipsis audire cupit, consulat 63. caput Harmoniae nostræ.

\* \* \* \*

## C A P U T X C V I I .

CONTINENS EMISSIONEM SEPTUAGINTA  
DISCIPULORUM. LUC. IO. V. 1.

## R A T I O O R D I N I S .

**N**on est dubium, Lucam Evangelistam hanc historiam justo loco & ordine posuisse. Quod non tantum ex illa particula μέτα, post hec, postquam nimurum relicta Capernaum Hierosolymam tendebat, & animum ad moriendum confirmarat: sed potius etiam inde colligimus.

Harm. Tom. I.

Dixerat Joh. c. 7. v. 10. Christum Hierosolymam ad festum tabernaculorum ascendisse, non manifeste, sed velut in occulto. Jam vero, quia secum ducebat tantum numerum discipulorum, non potuisse occulite in urbem ingredi. In finibus itaque Samaria adhuc constitutus, majorem eorum partem à se abegat, nec ullos præterquam duodecim Apostolos se-

S I S S

cum